

- animam recipe. *GE.* prorsu' . . . *SO.* quid istuc
 "prorsus" ergost? *GE.* periimus;
 325 actumst. *SO.* eloquere obsecro te quid sit. *GE.*
 iam . . . *SO.* quid "iam," Geta?
GE. Aeschinus . . . *SO.* quid is ergo? *GE.* alienus est
 ab nostra familia. *SO.* hem
 perii. quare? *GE.* amare coepit aliam. *SO.* vae
 miserae mihi!
GE. neque id occulte fert, ab lenone ipse eripuit palam. 30
SO. satin hoc certumst? *GE.* certum; hisce oculis
 egomet vidi, Sostrata. *SO.* ah
 330 me miseram! quid iam credas aut quoi credas? nostrumne
 Aeschinum,
 nostram vitam omnium, in quo nostrae spes opesque omnes
 sitae
 erant? qui sine hac iurabat se unum numquam victurum
 diem?
 qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris, 35
 ita obsecraturum ut liceret hanc sibi uxorem ducere?
 335 *GE.* era, lacrimas mitte ac potius quod ad hanc rem opus
 est porro prospice:
 patiamur an narremus quoisquam? *CA.* au au, mi homo,
 sanus es?
 an hoc proferendum tibi videtur esse? *GE.* mi quidem non
 placet.
 iam primum illum alieno animo a nobis esse res ipsa indicat. 40
 nunc si hoc palam proferimus ille infitias ibit, sat scio: